



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliarvm Omnium Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCXLVII. ad annum CCCCI.

**Parisiis, 1644**

XIX. Vt clerici, cum ad pubertatem venerint, aut coniugium, aut castitatem profiteantur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15256**

## XV.

Item placuit, vt episcopi & presbyteri & diaconi vel clerici non sint conductores, neque procuratores, neque vlllo turpi vel inhonesto negotio victum quærant: quia respicere debeant scriptum esse: *Nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus.*

Cod. Can.  
cap. 16.  
21. q. 3. Pla-  
cuit, vt e-  
piscopi.

1. Tim. 2.

Idem cap. 15. sic in vetustis quibusdam libris legitur: Vt episcopi, presbyteri & diacones non sint conductores aut procuratores priuatorum, neque vlllo negotio tali victum quærant, quo eos peregrinari vel ab ecclesiasticis officiis auocari, necesse sit.

## XVI.

Vt nullus clericorum amplius recipiat, quam cuiquam accommodauerit: si pecuniam accipiat, speciem eandem, quantam dederit, accipiat: & quidquid aliud, tantum, quantum dederit, accipiat.

Cod. Can.  
cap. 16.  
14. qu. 4.  
Nullus cle-  
ricorum.

## XVII.

Vt<sup>k</sup> cum omnibus omnino clericis extraneæ feminæ non cohabitent, sed solæ matres, auia, materteræ, amitæ, sorores & filia fratrum aut sororum, & quæcumque ex familia, domestica necessitate, etiam antequam ordinarentur, iam cum eis habitabant: vel si filii eorum, iam ordinatis parentibus, vxores acceperint; aut seruis non habentibus in domo quas ducant, aliunde ducere necessitas fuerit.

Dif. 81. cum  
omnibus  
omnino.

## XVIII.

Vt episcopi, presbyteri & diaconi non ordinentur, priusquam omnes qui sunt in domo eorum, Christianos catholicos fecerint.

Con. Afr.  
cap. 3.

## XIX.

Placuit, vt lectores, cum ad annos pubertatis

Cod. Can.  
cap. 16.

Dist. 23.  
Lectores  
cum ad.

venerint, cogantur aut vxores ducere, aut continentiam profiteri.

Hoc 19. cap. vetusti codices sic habent: Vt lectores vsque ad annos pubertatis legant; deinceps autem, nisi vxores, custodita pudicitia, duxerint, aut continentiam professi fuerint, legere non sinantur.

## XX.

7. q. 1. Placuit, vt a nullo.

Placuit, vt a nullo episcopo vsurpentur plebes alienæ, nec aliquis episcoporum supergrediatur in dicecesi suam collegam.

## XXI.

Dist. 71.  
Clericum  
alienum nisi.

Vt clericum alienum, nisi concedente eius episcopo, nemo audeat vel retinere, vel promouere in ecclesia sibi credita. Clericorum autem nomen etiam lectores, & psalmistæ, & ostiarii retinent.

## XXII.

Dist. 14.  
Nullus clericorum.

Vt nullus ordinetur clericus, nisi probatus vel episcoporum examine, vel populi testimonio.

## XXIII.

Vt nemo in precibus vel Patrem pro Filio, vel Filium pro Patre nominet. Et cum altari assistitur, semper ad Patrem dirigatur oratio. Et quicumque sibi preces aliunde describit, non eis vtatur, nisi prius eas cum instructoribus fratribus contulerit.

## XXIV.

Concilii  
Afr. cap. 4.  
De cõf. dist.  
2. in sacra-  
ment.

Vt in sacramentis corporis & sanguinis Domini nihil amplius offeratur, quam ipse Dominus tradidit, hoc est, panis & vinum aquæ mixtum. Nec amplius in sacrificiis offeratur, quam de vuis & frumentis.

Hoc cap. 24. in vetustis codicibus ita habetur: Vt in sacramentis corporis & sanguinis Domini nihil amplius offeratur, quam ipse Dominus tradidit, hoc est, panis & vinum aquæ mixtum. Primi-